



Vita Et Doctrina Christi Domini

More, Henry

Antverpiae, 1649

LXXXVI. Iudicij Extremi descriptio. Matth. 25.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56545)

LXXXVI.

Iudicij Extremi descriptio.

Matth. 25.

I. **C**um autem venerit **filius** hominis **Feria 2. post**
in Maiestate sua, & omnes An- **1. Quadrag.**
geli cum eo, tunc sedebit super sedem Ma-
iestatis sue, & congregabuntur ante eum
omnes gentes, & separabit eas ab inui-
cem, sicut pastor segregat oves ab hœdis, &
statuet oves quidem à dextris suis, hœdos
autem à sinistris. Theophyl. Quoniam Theophyl.
primus Aduentus Domini in ignomi-
nia fuit & opprobriis; in secundo cum
gloria aderit Angelorum, &c.)

2. Tunc dicet Rex his qui à dextris
eius erunt, Venite benedicti Patris mei,
& possidete paratum vobis regnum, à con-
stitutione mundi: Esuriui enim, & dedi-
stis mihi manducare; Sitiui, & dedistis mi-
hi bibere; Hospes eram & collegistis me;
Nudus, & cooperuistis me; Infirmus, & vi-
sistis me; in carcere eram & venistis ad
me. Tunc respondebunt ei iusti, Domine,
quando te vidimus esurientem & paui-
mus te? sitientem, &c. Et respondens rex

D d 2

discet

616 DOCTRINA ET MIRACULA

Euthym.

dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis? uni ex his? fratribus meis? minimis mihi fecistis. Euthym. "O vocem optatibilem! ô honorem ineffabilem! Benedicti, &c. Nec dicit, accipite, sed possidete tanquam paternum, tanquam debitum, tanquam præparatum, &c.) Ambrosius. "Vide quos tibi gratia det debitores; facit tibi Patrẽ debitorem Deum; qui pro munere quo pauper adiutus est fœnus exoluet, quasi boni debitor creditoris; facit tibi debitorem filium Dei, qui ait, Esuriui & dedisti, &c.)

3. Tunc dicet his qui à sinistris eius erunt, discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare; sitiui & non dedistis mihi potum, &c. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes, Domine, quando te vidimus, &c. Tunc respõdebit illis dicens, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis: Et ibunt hi in supplicium æternum; Iusti autem in vitam æternam. Theophyl.

Theophyl.

"Vide quod Deus ignem non præparavit hominibus; supplicium enim non fecit propter nos, sed propter diabolum;

Ego

CHRISTI DOMINI. Pars 2. 617

Ego autem meipsum supplicio facio
obnoxium: Horresce igitur, ô homo,
cum cogitaueris hoc, &c. Et profectò,
si bene consideras, raptor est qui multa
habet & non miseretur, &c.) & Euthym. Euthym.
"Iustissima merces ut Inhumanis, In-
humanitas, & misericordibus Miseri-
cordia rependatur.)

F I N I S.

Ad maiorem Dei Gloriam.

Dd3 INDEX